DISPUTATIO INAUGURAL
MEDICA
De
PESTE

Quam

AUXILIANTE COELESTI ARCHIATRO,
CONSENSU, DECRETO, ET AUTORITAT
NOBILISSIMÆ ET GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICA
IN
ILLUSTRI LUDOVICIANA ACADEM
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ATq; PRIVILE(
DOCTORALIBUS
RITE ET SOLENNITER CONSEQUENDIS,
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
SENATUS ACADEMICI
EXAMINI SUBMITTIT

JOHANN. JACOB KUNT
Calvörda-Brunſuicenſ.

AD D. SEPTEMBR.
LOCO HORISq; CONSUETIS.

Duplicata

GISSÆ,
Ex Chalcographeo Acad. KARGERIANO.
M.DC.LXXXIII.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

Q. D. B. V.

THES. I.

Licet in ampliſſimo hoc Mundi theatro *Homo* à Græcis μικρόκοσμος dictus, omnium Creaturarum ſit nobiliſſima, atque præſtantiſſima, tot tamen, tamque variis corripi ſolet morbis, ut nulla corporis pars, imo ne fibra quidem ulla in univerſâ ejus ſtructurâ reperiatur, quæ non peculiari cuipiam affectui p. n. obnoxia ſit. Cum autem de ſingulis iſtis morbis verba facere inſtituti noſtri ratio, æque ac materiæ copia, neutiquam permmittat, unicum duntaxat, eumque maximè malignum & perniciosum in ſcenam nunc producere animus eſt. *Peſtem* intelligo, quæ quàm diris hactenus modis in pagos, urbes, imo integras Regiones ſævierit, vix erit qui ignoret. Neque vero Auſtriæ, Bohemiæ, aliisque diſſitis locis ſe paſſa eſt detineri, ſed, inſtar ſagittæ, ulterius volitavit, ita ut tantùm non noſtris quoque immineret cervicibus. Quapropter diligenti omnino conſideratione dignum cenſui argumentum, in quô, *Inaugurale ſpecimen* elaboraturus, vires ingenii periclitarer. Licet autem has minime ſuffecturas prævideam, erit tamen, ſpero, in magnis & voluiſſe ſatis. Faxit DEUS, ut inſtitutum hocce meum feliciter ſuccedat!

II. *Etymologiam Peſtis* quod attinet, placet nonnullis eam à *paſcendo*, quod, velut incendium, homines depaſcat, deducere; quam ob rationem alii à *perimendo* dictam volunt. Aliis interim *Græca* magis arridet derivatio, quâ παρὰ τὸ πεσεῖν,

τεῖν, *cadere* deſumitur, juxta Taubmann. in *Plaut. de captiv. act.4. ſcen.13.* Homonyma vero ſunt, *Peſtis*, *Peſtilentia*, *Lues Peſtifera* &c. Græcis vocatur λοιμὸς ad differentiam τοῦ λιμοῦ famis, quæ plerumque ſe invicem excipiunt, juxta illud: μετὰ λιμοῦ ὁ λοιμὸς, *poſt famem peſtis.* Germanis dicitur, die Peſt/ die Peſtilentz / anſteckende Seuche.

III. *Rem* ipſam dum aggredimur, variæ *Peſtis deſcriptiones* nobis occurrunt, inter quas arridet hæc: *Peſtis eſt Morbus maximè malignus & Contagioſus, cordis actiones ſubitò ac principaliter lædens, à venenata illiq; peculiari infenſa ἀποκρίσει originem ducens.* Rerum p.n. tria eſſe genera ex Gal. *l. de conſt. Art. Medic. in Iſagog. c.15.* & plerisque *Inſtitutioniſtis* conſtat; *Morbum* ſc. *Cauſam* & *Symptoma*; ad nullum vero horum convenientius quam ad *morbum* refertur Peſtis, cum talis ſit C. H. διάθεσις p.n. quæ actiones immediatè & evidenter lædit. Sic etiam ab *antiquis* inter *Morbos* relatam fuiſſe *Peſtem*, Hipp. & Galen. *l.3. Epidem. comm.3.* teſtantur. Reſtat itaque, ut *qualisnam* ſit Morbus, examinemus. Nos *malignum* cum dicimus morbum, ſumtô vocabulô *maligni* in rigore, non ſolum *affectum p.n. mali moris*, & *venenatum* innuimus, ſed & ſimul oſtendere volumus, ad ſecundum *morborum ſimilarium* genus, quod τῆς ὅλης οὐσίας, *totius ſubſtantiæ, occultarumq; qualitatum* vocari ſolet, & τοῦ Θείου, divini illius, cujus Hipp. *1. prognoſt. text.4.* meminit, haud expers eſt, pertinere. Non placebit hæc aſſertio illis, qui cum Maſſar. *l.1. de Peſte communem* quandam, quæ ad nullum certum quodpiam morbi genus ſpectet, diſpoſitionem eſſe volunt; ſed *diſtincta* cum pateat ejus natura ex definitione, non eſt, ut hos moremur. Neque iſtis jam auſcultare poſſumus, qui Peſtis genus, vel per *Febrim*, vel per *Putredinem* exprimunt, quandoquidem utraque de *Peſtis eſſentia* non eſt, uti cum Ratione Experientia docet. Videmus quidem difficultatem, quam nobis movebunt ii, apud quos *occultæ qualitates* tam malè audiunt, ut ne nomen quidem patienter ferant; ſed magis amica eſt veritas. quâ *naturam Peſtis* hujusque *cauſam* à nemine hactenus ſatis manifeſtè fuiſſe oſtenſam conſtat, etiamſi jam olim plurimi hoc mali genus ex *manifeſtis qualitatibus*

tibus deducere conati fuerunt, quo tamen in conatu, ob difficultatem, cui hæc aſſertio involvitur, idem illis accidit, quod non paucis hodienum evenire videmus, ut diverſas excogitaverint *hypotheſes*, ipſis quandoque *occultis qualitatibus* adhuc obſcuriores. V. Horſt. *Tom. 3. p. 101.* Quare cum laudato modò autore, aliisque Medicis doctiſſimis *Peſtem* ad *totius ſubſtantiæ morbos* referre non dubitamus, quippe quæ non ſenſim, ſed *ἀθρόως* maximâ vi ac celeritate Spiritus Vitales tetrâ & malignâ lue oppugnat, fatigat, corrumpit, ac plerumque proſternit.

IV. *Contagioſum* quoque dicimus *morbum*; non quod ad *eſſentiam Peſtis* ſimpliciter pertineat *Contagium*, cum hoc & *Peſtilens* multum inter ſe differant, ſed quod ſit ejus accidens, quod vel *cauſam communem*, vel *effectum*, *contagium* puta, conſequatur. Hic equidem multa de *Contagio* inſerere poſſemus, cujus naturam varii variè explicant: verùm, quando id à *Sennerto*, *Horſtio*, aliisque pluribus egregiè pariter ac abundè eſt factum, commodiusvè hac de re inter *cauſas* diſſeritur, eo usque pauca illa nobis dicenda differemus. Interea, quamvis omnem *Peſtem* eſſe *contagioſam* meritò afferamus, cum, qui hoc negare vellet, ad ægros ædesque infectas ablegatus, proprio id damnô diſcere poſſet; non tamen propterea ad naturam Peſtilentiæ conſtituendam pertinere *contagioſum eſſe* arbitramur. Spectat huc duplex illa quæſtio: *Num omnes morbi maligni* ſint *contagioſi*; *& num omnes contagioſi* ſint *maligni*? ad quam breviter ita reſpondemus: Non omnes morbos *malignos*, à *veneno* ortos, eſſe *contagioſos*: docet enim quotidiana Experientia, non pauca occurrere *venena*, quorum natura neutiquam ita eſt comparata, ut aliis quoque corporibus per *contagium* quodpiam, malignitatem ſuam communicent: ſic porrò multos dari morbos conſtat, qui, licet ſint *contagioſi*, nullam tamen *malignitatem* propriè ſic dictam, conjunctam habent, prout patet exemplo *phthiſeos*, quæ quidem communi ferè Medicorum ſententiâ, morbus eſt *contagioſus*, nullam tamen *malignitatem* involvit. In Peſte vero malignitas cordi potiſſimum adverſa, ſummamque ſubito inferens perniciem debet attendi, quippe quæ præcipuam eſſentiæ ejus rationem implet.

 V.

V. Sed tempus eſt, ut *Subjectum Peſtis* examinemus. Quanquam vero totus homo, ſi *Peſte* corripiatur, affligi, omniſque ejus oeconomia animalis graviter turbari ſoleat, *Cor* tamen præcipuè à *venenô* iſtô labefactari, plerique conſentiunt. Unde ipſum quidem *hominem*, ſeu totum ejusdem Corpus pro *adæquatô Subjectô* agnoſcimus, *Cor* tamen, ceu *partem primariò*, & *principaliter affectum*, meritò conſideramus. Hinc etiam *cordis actiones ſubitò & principaliter lædi*, in definitione aſſerere non dubitavimus. Cum autem hæc ſanguinis officina, caloriſque fons, *Cor* inquam, vel ut pars *ſimilaris* vel ut *Organica*, coſiderari queat, in quæſtionem venit, ſecundum quam rationem hoc in affectu potiſſimùm laboret? Arbitramur, ex naturâ morbificæ cauſæ, (de quâ mox dicetur) aliter colligi non poſſe, quam quod primò quidem ut pars *ſimilaris*, dein, ut *Organica*, patiatur; ſiquidem *malignum μίασμα*, quod iſtas in homine peſte correptô turbas movet, calorem & Spiritum vitalem, quibus cordis temperies nativa perficitur, immediatè aggreditur, & corrumpit, mox vero etiam *ſtructuram* illius diruit, & *officia* hinc profluentia ſufflaminat. Non eſt itaque, ut Helmontius *Ventriculum* hujusq; præſertim *orificium ſiniſtrum*, ceu partem primariò affectam, nobis obtrudat: quemadmodum enim fruſtrà ibi *animæ ſedem* collocat, & abſolutum *Ventriculo* imperium in *Cor* & reliqua viſcera adſcribere conatur, prout Mœbius in *Fund. Medic. p. 140. ſeqq.* egregiè monſtrat, ita ſanè nihil aliud motæ ab eodem difficultates evincunt, quam ventriculum ſecundariò tantùm affici, &, quatenus ſcilicet plagam illam à Corde accepit, in *Conſenſum* rapi; id quod cum reliquis viſceribus commune habet, etiamſi, ob domeſticas rationes, & ſenſum orificii dicti exquiſitum, iſtius ἀταξία & indignatio Archæi manifeſtius apparere quandoque videantur.

VI. *Cauſa proxima* & *Immediata* nobis in *definitione* dicitur *venenata* quædam *Cordique peculiariter infenſa ἀπόκρησις*: quâ nihil aliud, quam quod plerique per *venenatum* ac *peſtilens μίασμα* innuere ſolent, intellectum volumus. Equidem nos non latet, eſſe, qui hujus *μιάσματος* naturam, quæ nobis

abſtruſa

abſtruſa valdè, imo tantum non incognita cenſetur, partim ex *manifeſtis* (ceu ſupra dictum eſt) deducere *qualitatibus*, partim ex diverſa *particularum figura*, *motu* aliisque accidentibus cum materiâ *ſubtili* &c. perſpicuè oſtendere, partim vero cum *Chymicis*, ex *ſalibus volatilibus ferinis* elicere atque explanare conentur, verum, licet horum omnium induſtriæ, laudem quam merentur, non invideamus, nondum tamen omnis remota ſic videtur ratio, quo minus cum Deuſing. *Tr.* de *Peſte ſect.2.p.39.* præter omnem rationem & experientiam, peſtis naturam manifeſtis adſcribi qualitatibus, dicere liceat. Hinc & Diemerbroek. *Tr.* de *Peſt.l.1.c.2.p.6*, inquinamentum hoc eſt excellens, inquit, & vix explicabile, quod non conſiſtit in aliquo manifeſtarum qualitatum exceſſu, ſed in *Venenoſitate* quadam *vitæ noſtræ prorſus contrariâ*, cujus natura difficulter deſcribi poteſt. Conf. quoque Kircher. de *Peſte ſect.1.c.5.p.34.* qui, licet peſtem plerumque *animatam* eſſe, ægrumque peſtifera ferocia infeſtatum, mox excellentem contrahere *putredinem*, ad *vermes* generandos omnium aptiſſimam ſcribat, tamen non ex ſimplici quatuor elementorum contaminatione, ſed ex *alienâ* & *peregrina qualitatis deleteriæ facultate* ſuperveniente conflatam eſſe, fateri non veretur.

VII. Quam quidem *putredinem*, ubi vel de *producto Peſtis*, vel de *cauſis Mediatis proximioribus* (quas nunc aggredimur) ſermo eſt, libenter admittimus. In *Humoribus* enim, ſeu ſanguinea Maſſa, *Cacochymica* præſertim, fomitem peſtis quodammodo gliſcere, variæque corruptionis ſchemata delineari poſſe, nemo facilè ibit inficias, qui p.n. fermentationis variam ἐνέργειαν, & diverſarum particularum generationem probè conſideraverit. Sicuti vero in ejuſmodi *putredine* peſtis eſſentiam non conſiſtere dictum eſt, ita nec *antecedentis cauſæ* rationem ſemper & neceſſario abſolvere, quin aliam potius p.n. ſanguinis diſpoſitionem, quâ illius maſſa nimis ſubtilis atque diſſipabilis redditur, æque frequenter occurrere, adeoque nec *Febrim* Peſti ſemper ſociam eſſe, arbitramur. Quidni enim tanta vis & efficacia Peſtilentis veneni ſæpius exiſtere credenda fuerit, ut aliorum *venenorum* inſtar, nondum

introducta aliqua *putredine* hincque excitata *febre*, hominem perimere queat? vid. Foreſt. *l.6.obſ.10.in ſchol. Horſt.d.l.*

VIII. Patet hinc, quo pacto in Remotiorum Cauſarum cenſum veniant, 1. *Res Naturales*, inter quas *Temperamentum* calidum & humidum ad *putredinem* diſponens, agmen ducit. Illi quoque, quorum humores admodum ſubtiles atque penetrabiles ſunt, præ aliis ad peſtem diſpoſiti creduntur.

IX. *Res Non Naturales* quod attinet, *Aër* magni hic eſt ponderis, unde eum pro communi Epidemicorum morborum cauſa dudum agnovit Hipp. *l.de flatib.ſect. 6. text.9.* idque merito, cum non ſolum aër corpora noſtra extrinſecus ambiat, & per minutiſſimos porulos atque ſpiracula, intima cordis penetralia pervadat, verum etiam ope narium & oris per aſperam arteriam ſingulis momentis attrahatur, & *inſpiratione* hac in pulmones ſeu flabella cordis admittatur, qui eum denuo ad Cor ut (juxta quorundam ſententiam) hujus fervor inde refrigeretur, protrudunt. Qualis itaque Cordi communicatur aër, tales quoque generantur Spiritus, & quales ſunt ſpiritus; tales poſtmodum, juxta Hippocr. *ſect. 1. aph.3.* ſunt actiones corporis noſtri. Variis autem modis Aër inquinari poteſt; vel enim à *Vaporum* & *halituum putridorum Venenatorum congerie*, paſſim è cryptis ſubterraneis prorumpente inficitur, ſicque mediante Aëris inſpiratione Spiritus Vitales ſuffocantur, ſanguis condenſatur & coagulatur, ejusque motus impeditur: vel à *fœtore* inquinatur, dum matutino tempore *nebulæ* venenatis, cadaveroſis, aliisque miaſmatum qualitatibus refertæ, decidunt, aut *bruta* magno numero commoriuntur: aut ex militum *caſtris* fœtores exſpirant, aut ubi factâ ingenti *hoſtium clade* occiſorum corpora ſub cœlo præſertim humido calidoque inhumata jacent; vel aquis immerſa hæc corrumpuntur. Quantum incommodi inſuper non ſolum naribus noſtris, ſed & Cordi adferat fœtor *piſcium*, nemo ignorat. Sic etiam teſtantur Hiſtoricorum monumenta, incredibilem locuſtarum copiam, conſumtis prius ubique herbis & floribus, mari immerſam, tantum produxiſſe fœtorem, ut brevi temporis interca-

tercapedine, 300000. hominum interierint. Inveniuntur quoque non raro *Specus*, *Caverna*, *Cellæ*, &c. ab immunditie & ſordibus minimè immunes, unde poſtmodum varia inquinamenta in Aërem diſperguntur. Dictum eſt hactenus, qua ratione Aëri ab *inferioribus locis* varia communicari ſoleant inquinamenta; num vero etiam à *ſuperioribus*, *aſtrorumq;* influxu idem afficiatur? paucis examinandum reſtat. Nos, licet neutiquam adſtipulemur Fernelio, *Patholog.l.4.c.17.* & *de abdit. rer. cauſ.c.12.* omnem peſtem è ſublimi, cœlitusque demitti ſtatuenti, *vi tamen influentiarum cœleſtium* Aërem *occulta* atque *corruptrice qualitate* imbui poſſe, tum rationi, tum experientiæ conſentaneum cenſemus: unde etiam *Cometarum apparitiones* ſymbolum huc conferre, minimè contemnendum judicamus, etiamſi varias Aſtrologorum prædictiones, præſertim ubi à phyſicâ ratione & conſideratione multum abierint, parvi faciendas eſſe conſtet. Pertinet forſan huc certo quodam pacto illud τὸ θεῖον *Hippocr.* de quo ſupra; eodemque ſenſu Cous *2. Epid.ſect. 2.* morbum & tempus ſibi ipſi correſpondere, ait, niſi quid in ſuperiori natura innovetur. Et procul dubio hanc ſecundam cauſam, Divino Numini ſubordinatam, atque cœlitus Aëri communicatam, indigitare voluit Homerus, quando Apollinem peſtilentiam ſagittis in homines mittere ſcripſit.

X. Pergimus ad *Cibum* & *Potum*, quorum abuſus tam frequens, tamque eſt nocivus, ut, *plures hominum gulâ, quam enſe perire*, in proverbium abierit. Non autem ſolus abuſus, ſed etiam quorundam *alimentorum ſubſtantiæ* & *qualitates* ita ſunt comparatæ, ut in exiguâ etiam copia ſi ſumantur, valdè noceant. Sic, quoties cibos putrilagine ſituque corruptos homines comedunt, varios ſibi contrahunt morbos. Hoc dudum confirmavit Galen.*l.de cib.bon. & mali ſucc.* & *l.6.loc.aff.5.* ubi iidem affectus (intelligit peſtiferos) oriri, inquit, ab humoribus in corpore putreſcentibus, poſſunt. Sic & à prava victus ratione Peſtem illam Belgarum Delphicam fuiſſe productam, Foreſt. *6.obſ.9.* aſſerit. Præſertim verò *fructus horai, immaturi*, aliaque id genus, à Militibus, & Ruſticis ad ſiſtendam famem avidius ingeſta, non raro peſtiferam luem, [præcedente Epidemica *dy-*

ſenteriâ) corruptione ſuâ inducunt. Nec minus nocet variorum intempeſtiva *potulentorum* ingurgitatio, quæ, ubi juventutis primò florem & vigorem perdidit, plerumque per omnem reliquæ vitæ curſum ſeſe vindicat: præſertim vero *aquæ corruptæ* potus, fœdam viſceribus labem infert, unde M. S. Spiritus pereunt. Sic etiam ex *Motu* & *Quiete*, *Somno*, & *Vigiliis*, niſi conveniens obſervetur *mediocritas*, mala plurima advehi ſolent, juxta Hippocr. *ſect. 2. aph. 3.*

XI. *Animi affectus*, quantum ad promovendam Peſtis invaſionem valeant, rerum teſtimonia docent. Ut nihil jam de *Ira*, quæ ſpiritus ſuâ ex candeſcentiâ una cum ſanguine periculosè in habitum corporis diffundit; vel etiam de *Mœrore*, vitalem flammulam ſenſim extinguente dicamus; tot documenta tempore Peſtis oſtendit *Imaginatio*, ut eâ ſatis mirari non poſſimus: Multos enim gliſcente contagio, peſte correptos, eò quòd ita factum eſſe, ſibi antea imaginati eſſent; alios cum tali phantaſiâ lectum ingreſſos, hincque in ſomno cordis anxietate metuque ob id preſſos, manè hac lue infectos ſurrexiſſe, à ſcriptoribus annotatum legimus. Nimirum, dum tam triſte objectum ſenſui communi per externos iſtos exploratores offertur, atque Imaginationi exhibetur, conceptum inde φάντασμα una cum Cerebro, ipſum quoque Cor perturbat, Metum & Triſtitiam incutit, ſicque M. S. validè diſponit, ut peregrinum hunc hoſpitem tanto facilius admittat, & velut anguem in ſinu foveat, ex quibus omnibus facile erit colligere, *Peſtem* non tam *per ſe* quam ex *accidente* potius ex *Imaginatione* reſultare, prout plura hac de re apud Schenk. *l. 1. obſ.* Senn. *l. 4. de Feb.* Marc. Donat. *de hiſt. Mirabil. Med. l. 2. c. 4.* aliosque videri poſſunt.

XII. Tandem, ut (3) *Res* quoque *Præternaturales* attingamus, excellit inter has *contagium*, quo mediante Peſtis fovetur, nutritur, augetur, & latiſſimè in multas Urbes, & Regiones diſſeminatur. Conſiderari autem hoc, quoad *Modum*, meretur, vel prout *immediatè, proximoq; contactu*, talem producit effectum: vel prout *Mediatè* & in *Diſtans* operatur. *Priori* ratione afficitur, qui cum homine Peſte correpto in eodem lecto cubat. Idem & in aliis obſervare morbis licet: teſtatur e-

nim

nim experientia, febres malignas, Tertianas, Peſtilentes in eadem domo, ubi æger decumbit, alios quoque invadere: non ſolum in principio morborũ, ubi fermentatio p.n. humores exagitare cæpit, ſed præſertim in progreſſu, quo jam morbus vires acquiſivit eundo, & effluvia majori copiâ exhalant. Nam per *effluvia* ejusmodi morbos æque ac Peſtem diſſeminari pariter ac propagari, nemo facilè negabit: hinc etiam *Nobiliſſ. & Excell. Dn. D. Meibomius, Med. Profeſſ. Helmſtad. Celeberr. Fautor, & Præceptor meus ætatem devenerandus*, uſu rerum edoctus obſervavit, ante ſex ſeptemve circiter annos *Helmſtadii*, per Vernum tempus à Menſe *Februario*, in *Majum* usque *Tertianas* febres fuiſſe *Epidemicas*, & quidem frequentiſſimas, quæ per totam *æſtatem* durarunt, ſub *Autumnum* autẽ in Quartanas degenerantes, deſierunt: Eo tempore ſi quis morbo laborârat, non omnes, ſed quidam duntaxat eodem morbo corripiebantur: unde aëris quidem conſtitutionem multum contuliſſe, à ſolâ tamen neutiquam hoc mali genus dependiſſe, patet, ſiquidem, licet una in domo plures decubuerint, in proximis tamen ædibus, nedum pagis aut Civitatibus, nemo tali morbo laboraverat. *Poſteriori* ratione, quâ Mediatè & ad Diſtans operari *contagium* deprehenditur, *peſtis* propagatur, quoties μίασμα in *linum, goſſypium, plumas, pelles piloſas animalium*, & quæ ex his conficiuntur, veſtes ſeſe inſinuat, prout recens ejusmodi exemplum exhibet ancilla illa, quæ *Magdeburgo*, ubi peſtis jam graſſabatur, *Halberſtadium* proficiſcens, & linteum plumis refertum ſecum portans, huic incluſum peſtilens μίασμα, in dictam attulit urbem, pluresque mox hujus incolas, hoc pacto infecit: quâ, licèt mox ex urbe relegatâ, foribusque ædium occluſis, retentus tamen fomes celeri curſu ita ſe diſſeminavit, ut multos quaſi inopinantes corripuerit, oppreſſeritque. Quo autem modo hujus fomitis fiat communicatio, varii variè exponunt: *Fracaſtorius* rem ita declarare conatur; quando ex chalybe, ope pyritæ, ſcintillæ eliciuntur, fomes ſubſtratus ſcintillas illas concipit diuque fovet, quod ſi autem quis fomitem moveat, & aëris acceſſum admittat, quam facilimè minutiſſima fomitis corpuſcula penetrare & in totum illum per va-

 dere

dere poteſt, huic ſi alius apponatur, ſtatim illi communicantur minutiſſimæ illæ ſcintillulæ, eodemque modo & hunc pervadunt, inque minimâ mole, maximæ ſunt efficaciæ. Ad hæc miaſmata, quando per fomitem propagantur, requiruntur partes non ſolidiores, ſed molliores imo molliſſimæ; ocularis enim experientia docet, fumum *Tabaci* quam maximè in *rugoſis* veſtibus hærere, in ſolidioribus non item, & quando res *odoriferæ*, quarum ſubſtantia eſt quam tenuiſſima & ſubtiliſſima, ut *Moſchus*, *Ambra*, *Zibethum*, goſſypio involvuntur, goſſypium, ut pars ſubtilis, poroſa, rugoſa & mollis, longè diutius ſervat odorem, quam alia res ſolidior. Ita etiam cum *venenatis particulis* res ſeſe habet, quando μίασμα peſtilens in veſte ſopitum jacet, illud commotum incaleſcit, & ſenſim ſenſimque aëre accedente exilit, & quaqua verſus virus ſuum explicat, quando jam aëri communicatur, tanquam materia ſubtiliſſima maximè ſulphurea & inflammabilis, ſpiritus corporis noſtri nimia celeritate invadit, fermentationemque ſubitaneam p.n. inducit.

XIII. Cauſis hactenus, pro inſtituti ratione propoſitis, ad *Diagnoſin* rectà progredimur: Ubi quidem varia, quæ *imminentem* prænunciant Peſtem, ab aliis notari *indicia* ſolent, inter quæ *Contagium* alibi ſerpens, maximi eſt momenti, etiamſi, notante *Fernelio*, tam obſcurè, tacitoque pede homines invadat, ut ex *eventu* potius, quam invaſione innoteſcat. Interim ſuſpicionem hujus augent, firmantque, ſi vel *Peſtis*, vel ſimilia alibi ſymptomata advertantur, *annona caritas* præceſſerit, *malignæ febres*, *dyſenteriæ*, *variolæ* &c. plures corripuerint, de quibus *Foreſt. Diemerbroek*, *Sennertus*, aliique conſulantur. *Præſentem* vero *peſtem*, quæ nunc magis nobis eſt curæ, cordique, ea, quæ in *definitione* continentur φαινόμενα una cum aliis ἐπιγινομένοις, non obſcurè ſignificant. Ubi quidem ſubitanea non ſolum plurimorum ex eadem cauſa, *invaſio*, ſed etiam ſubſequens eodem morbo correptorum pernicies, *Peſtem* evidentiſſimè oſtendunt. Cæterum, licet hæc lues cum diverſis morbis cauſisque conjungatur, *inſeparabile* tamen atque *proprium* peſtis *ſignum* eſt, quod maximè *Cor*, vitæ noſtræ arcem, abſque alia manifeſta cauſa præcedente, invadat, idque *venenatâ* quadam

ἐπιχειρέει peculiariter oppugnare ſoleat. Sic Hippocrates, peſtilentes morbos varios, ſeu morbos peſtis comites deſcribens, *l.3. epidem. text.22.* Ex qualibet morborum, inquit, quos ſupra recenſuimus, ſpecie, complures ægrotabant, & moriebantur. Plura vid. ap. Mercurial. *de Peſte, c. 6.* qui inter alia obſervatum teſtatur, peſtilenti anno, aut nullas, aut rariſſimas cicadas ceciniſſe. Hoc interim à plerisque confirmatur, peſtilentem arguere conſtitutionem, ſi annus ab aliis ægritudinibus maximè immunis fuerit. Sed videamus ipſa *morbo hoc laborantium ſigna*; non omnia quidem, cum plurima horum aliis morbis ſint communia, ſed potiora, quorum συνδρομὴ, ſi cum communibus conjungatur, παθογνωμονικὸν nobis conſtituent. Uti autem præcipuè *Actiones læſæ* hanc in notitiam nos deducunt, ita juxta triplicem claſſem eas luſtrabimus: In *Animalium* itaque claſſe occurrunt, inſignis *capitis dolor*: *Vigiliæ* pertinaces cum maxima *inquietudine*, *anxietate* & *Cardialgia*, quandoque tamen ægri *Lethargô* corripiuntur: Quoad actiones *Vitales*, mox ab initio *repentina virium proſtratio* oboritur, citra manifeſtam cauſam, interdum quoque *Cordis Palpitatio*, *Lipothymia*, imò ipſa *Syncope* ſupervenit. *Pulſus* adeſt debilis, languidus, & obſcurus, quandoque etiam tremulus & intercidens: ſæpe numero etiam peſtis cum *horrore* & *frigore* invadit, ſubſequente *febrili calore*. *Febris* autem ipſa pro humorum in corpore dominantium varietate varia eſſe, ſed quandoque etiam planè *abeſſe* in initio, ſolet. In *Naturalium* actionum claſſe, *Vomitus* crebri fatigant ægrum, ſummaque adeſt *appetitus dejectio*; *Sitis* urget extrema, quæ ne quidem potu reſtinguitur. *Alvi fluxus* fœtidi, & colliquativi frequenter accedunt. De Urinis peſtiferorum conf. Horſt. *Tom. 2. p. 345.* Hinc alia ſuccedunt συνεδρεύοντα, *Lingua* ſupra modum *ſicca*, *aſpera*, & *ſcabra* evadit: *oculi* lumen refugiunt, ſuoque deſtituuntur ſplendore: *Aures* tinnitu affliguntur: *Maculæ* purpureæ, lividæ, cœruleæ &c. cutim defœdant, neque his prodeuntibus, ſymptomata remittunt, qui proprius peſtilentium *Exanthematum* character eſſe ſuevit; Præterea *Bubones*, aut *Carbunculi* ſeu *Anthraces* paſſim in corpore prodeunt. Quæ quidem hactenus recenſita nequaquam junctim

 omnia

omnia, neque eadem omnibus, ſemperque accidunt, ſed alia in aliis, nunc pauciora, nunc plura concurrunt, prout nempe vel ſævientis inquinamenti natura fert, vel ipſa ægrotantium conſtitutio diverſimodè ſe habet, & jam minus jam magis huic veneno reſiſtere valet.

XIV. *Prognoſis*, ſicuti in plerisque morbis *acutis*, ita præcipuè in *Peſte*, valde dubia eſt, juxta Hipp. *ſect.2.aph.19.* *Acutiſſimus* enim morbus eſt peſtis, utpote qui quandoque intra 24. horarum ſpatium; quandoque 3.4. vel 5. die jugulat; rariſſimè ad 14. diem (acutorum terminum juxta *aphor.23.ſect.2.*) prorogatur. *Spes ſalutis* major affulget, ubi vires adhuc conſtant, & tumores, vel Bubones, vel Carbunculi non ſolum cito, verum etiam locis periculo vacuis erumpunt, tumque poſt eruptionem, ſymptomata magna ex parte miteſcunt. Bonum quoque indicium eſt, ſi aſſumta retineantur, Exanthemata laudabilis ſint coloris, Bubones citò matureſcant, neque nimis doleant: Inprimis autem ſudores cum εὐφορίᾳ prorumpentes, uti naturæ robur indicant, ita felicem morbi exitum pollicentur juxta Hipp. *aph. 21.ſ.1.* Quod ſi vero Exanthemata denuò dispereant, anthraces plures adſint, & nobiliora occupent loca; veternus ſuperveniat, vel deliria, convulſio, aliaque graviora ſymptoma urgeant, præſertim extremorum frigus, *ſect.4. aph. 48.* frigidusque ſudor, *ſect. 4. aph. 37.* obſerventur, *mortis periculum* imminet, maximè ſi hæmorrhagia in principio parca oborta fuerit; exigua enim ſtillicidia, mala pronunciat Hipp. in *Coac.* Sic *Philiſco* & *Epaminoni l.1. Epid. comm. text.20.* puſillum quid è naribus ſtillavit, & interierunt.

XV. Vidimus ea, quæ ad *cognoſcendam Peſtis Naturam* pertinebant; reſtat, ut, quâ ratione & Methodo illius *invaſio* vel *præcaveri* vel *tolli* debeat, paucis adjungamus. Duplex itaque Medici officium nobis injungere videtur, ut, antequam de *Peſtis Curatione* agamus, de illius *Præſervatione* quædam præmittantur.

XVI. Miſſis autem iis, qui tam *Theologicum* quam *Politicum* reſpiciunt forum, alibique prolixè propoſita apud Horſt. *T. 2.p.340. & T.3.p.231.* aliosque legi queunt: noſtro jam urceolo, quæ in rem præſentem facere judicamus, ex triplici Ar-

tis

tis Medicæ fonte hauriemus. *Chirurgica* προφύλαξις varia nobis offert auxilia, in quibus V.S. eminet, quam, ſi habita circumſtantiarum ratione adminiſtretur, multum prodeſſe, conſtans Medicorum eſt ſententia. vid. Senn. *d.l.* Giſeler. *obſerv. 4.* Horſt. *d.l.* Laudat quoque Fonticulos (cum Hildan. Fabric. Claudin. Maſſaria & aliis) Diemerbroek. *l. 2. de Peſte c. 8.* Interea tamen omnis ex fonte Chirurgico ſecuritatis ſpes hauriri non debet, nec poteſt, quin potius *Pharmacia* quoque adeunda venit. Quanquam vero *Alexipharmaca* utramque fere paginam hic implere videantur, *Purgantia*, tamen, præſertim *mitiora* non debent negligi, ſiquidem his præmiſſis, reliqua dein ſaburra eo facilius per *ſudorem* expelli poterit. Commendamus itaque *fol. ſen. rhabarb. Tamarind. Serum lact. Pilul. peſtil. Ruffi, Angelic.* Salæ *Aloëtic.* Craton &c. Purgantium formulæ ſequentem in modum concinnari poſſunt.

℞. *MP. peſtil. Ruff.* ℈j. *Aloetic.* ℈ß. *Extr. Theriac. g.* vj. *F. pil. n. XV.*

S. Pillen auf ein mahl.

In forma liquida.

℞. *Sir. cich. c. rhab.* ℥j. *roſ. ſolut.* ℥ß. *p. veget. lax. g. xv. aq. Cinnam.* ℥j.

DS. Laxierſafft auff ein mahl.

℞. *Fol. ſen. ſ. ſt.* ℥iiß. *rad. helleb. nigr. ppt. angel. ã.* ℥ß. *H. Malv. rut. ã.* Mß. *Sem. aniſ.* ʒß. *Coq. in ſ. q. aq. font. Col.* ℥iiß. *adde Sir. roſ. ſolut.* ℥ß.

DS. Purgier-Tranck.

Quod ſi humores in Ventriculo ſtagnent & natura ægri conſentiat, eos quoque propinato *Tartar. Emetic.* Mynſicht. vel *Oxyſach. Emet. contra peſtem* A. Salæ aut Mynſicht. ἄνω evacuare licebit. Interim abſque ullâ morâ, ſicubi univerſalia hæc præmiſſa fuerint, ad uſum *Diaphoreticorum* & *Alexipharmacorum* progrediendum eſt; utpote in quibus tam *præſervationis*, quam *curationis* cardo potiſſimum vertitur, adhibito quidem & obſervato hoc diſcrimine, ut in *Curatione* ſemper majori doſi exhibeantur. Formulas Remediorum poſtmodum in *Curatione* (ne crambe bis cocta nauſeam creet) proponemus. De

Amu-

Amuletis præſertim Arſenicalibus in utramque diſputari ſolet partem v. Hornung Ciſt. Medic. *Epiſt. 17. p. 49. ſeq.* Commendat laudatus Horſtius *Amuletum Jacob. Horſtii*, ſcribitque, ſe nunquam voluiſſe Arſenicale præſcribere primis quidem praxeos ſuæ annis, aliorum permotum rationibus, poſtea vero, præter alia, etiam *Amuleta* ex Arſenico, Mercurio, & aliis ordinaſſe, hoc quidem obſervato, ut in *ſudore* & *balneis* removeantur: cui etiam ſubſcribimus; Interea rectè Bartholinus Cent. 3. hiſt. 62. *Amuleta ex literis & characteribus* quæ conſtant, rejicit. *Diætam* denique quod ſpectat, Vitetur *Aër impurus* ſordibus inquinatus, vel odoriferis, imo etiam interdum grave olentibus alteretur, & corrigatur. *Cibi* ſint εὔχυμοι & facilis coctionis, interim conſuetudini hîc aliquid dandum eſt: modo *alimenta*, facilè putreſcentia fugiantur. *Potus* commendatur non nimis generoſus: unde Vina generoſiora (niſi aqua probè diluantur) & Vini ſpiritus, non proſunt, ſed *temperata Vina* concedi poſſunt, ut Cordi robur, & lætitiam concilient; ubi & *Enulâta* &c. ſtomacho proſunt. *Cereviſiæ* qui ſunt aſſueti, benè coctam & defœcatam bibant. *Motus* & *Quies* pariter ac *Somnus* & *Vigiliæ*, ut vires conſerventur, cujusque naturæ ac conſtitutioni accommodentur. *Alvus* quotidie ſervetur lubrica. *Animi Affectus* præſertim *Timor, Ira, Anxietas, ſollicitudo* ob allatas ſupra rationes, cane peius & angue vitentur. Referri huc quoque ſolet *fuga*, in quâ, qui ſalutis ſpem ponunt, cùm libet, & licet, maturè & mox hac ſibi conſulant, & tardius redeant, juxta tritum verſiculum:

Hæc tria Tabificam pellunt adverbia Peſtem,
Mox, longè, tardè, cede, recede, veni.

Conſultius enim, monente *Sennerto*, faciunt, qui non aliò migrant, quam qui abeunt, & peſte nondum exſtinctâ, redeunt.

XVII. Sed

XVII. Sed monet inſtituti ratio, ut ad finem properantes *Curationem* paucis annectamus. Conſiſtit autem potiſſima hujus *Indicatio* in Remotione *Cauſarum*; quarum, cum μίασμα illud *venenatum* ſit præcipua, patet *Diaphoretica Alexipharmaca* omnem ferè hic paginam implere: interim & *remotiorum cauſarum* habenda venit ratio, ut, ſublato omni impedimento, commodius proximam tollere liceat. Utrobique vero virium conſervationi ſtudendum, & appropriata *confortantia* ſæpius in uſum vocanda ſunt.

XIIX. *Præſidiorum materiam* juxta modo dictos *fontes* examinabimus, ubi ſtatim in *Chirurgico* de *V.S.* occurrit difficultas, quandoquidem non pauci *Practicorum* aſſeverant, ſe obſervaſſe, plures, quibus vena non eſt aperta, quam quibus fuit ſecta, evaſiſſe: hinc minus peccari exiſtimant, ſi in *Curatione Peſtis* V.S. omittatur, quam ſi incautius adminiſtretur. Conf. hac de *controverſ.* præſertim Horſt. *Tom. 2. p. 34. & ſeqq.* ubi, utriusque ſententiæ argumentis ponderatis, Venæſectioni quandoque locum eſſe, egregriè demonſtratur.

XIX. *Pharmaceuticus* fons, licet varia, ut ſupra vidimus, ἄνω καὶ κάτω *Purgantia* in promtu habeat, horum tamen neutro in ipſa Peſte uti licere, ratio ipſa videtur dictitare. Nullo enim purgante medicamento, ut *Cratonis* verba uſurpem, ſeminarium Peſtis ejici poteſt, niſi fortaſſe magnâ naturæ commotione factâ, quod fit ſatis periculosè, cum ☿*io* & ſimilibus, quorum uſu natura irritata, cum noxiis utilia quoque rejicit. Quod ſi vero quis, hæc tantum *purgantia* fortiora reſpicere, dicat: reſpondebit *Quercetanus*, etiam *Mitiora* nihil prodeſſe, cum ad peſtilentiæ radices & fomitem usque penetrare nequeant, & à morbi malignitate plerumque irrideantur. Interim Diemerbroek. *l. 2. c. 9. p. 155.* non quælibet *purgantia* mitiora rejicit, præſertim *Aloëtica*, quæ putredini reſiſtunt, & viſcera roborant; hinc etiam inter alia *pil. Ruffi* approbat. Horſt. *d. l. p. 364.* Pugationem in principio peſtis aliquando non tentandam fuiſſe deprehendit, niſi nauſeabundo Ventriculo, propter Cacochymiam primarum viarum, ubi mox viribus adhuc conſtan-

conſtantibus Vomitorius ſirupus ex ♁ multos ex orci faucibus eripuit; quin procedente quoque tempore quibusdam *Catarctica* neceſſaria fuiſſe, in *Epiſt.* affirmat. Interea maturè ad *Alexipharmaca* & *Diaphoretica* tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe Practici ὁμοθυμαδὸν inculcant. Freitag. *in Epiſt. ad Horſt. Vegetabilibus*, inprimis *ſimplicioribus*, palmam tribuit: benè tamen *Horſtius* approbatis *Vegetabilibus Mineralia* quoque conjuncta plurimum præſtare reſpondet, adeoque reiteratum Diaphoreticorum uſum, ex ♁. *Sulphur. Aurato*, *beZoart. Solar.* & ſimilibus commendat, it. *Elix.* Croll. *peſtilential. Balſam. vegetab.* Kerner. *Spirit. camphor.* Hartmann. *Diaſcord.* Fracaſt. &c. Quæ de Corn. C. *virtute Alexiteria* diſputat contra *Horſtium* Diemerbroek. *d. l. p. 206.* paſſim apud alios diluta reperies. Vid. Schrôd. *Pharm. Medic. Chym. l. 5. c.* Hoffmann. in *Clav. Schrôder. p. 657.* Craton. *l. 4. conſ. 21.* Hercul. *Saxon. l. de Plic. c. 59. &* Grab. ἐλαφογραφ. *c. 6. p. 107.* aliosque plures. Nos quas ſupra *formulas Diaphor.* ſumus polliciti, nunc ſubnectemus.

℞. *aq. card. bened.* ℥ij. *Ulmar.* ℥ß. *theriacal.* ʒiij. ♁ij. *diaphor.* ℈ß. *ſirup. acetos. Citr.* ʒiij. *Spirit. C. C.* ʒß.

D. S. Schweißtreibender Tranck.

℞. *Aq. Card. bened. prophyl. citrat. Kon. ā.* ℥j. *El. diaſc. Fracaſt.* ʒj. *Mixt. ſimpl. And. Spirit. C. C. ā.* ℈j. *ſirup. Cinnam.* ʒiij.

D. S. Schwitz-Waſſer.

℞. *Mixt. ſimpl. And. Tinctur. Bez. ā* ʒj. *Spir. C. C. viper. ā* ℈j.

D. S. Mixtur zu 30. Tropffen.

℞. *Elix. propr. v.* ʒiß. *Spirit. viper.* ʒß. ⊖ *. vol. ſuccin. gvj.*

D. S. Mixtur davon 30. Tropffen zunehmen.

℞. ♁ij. *diaph.* ⊖ *. abſinth. ā.* ℈ß. *pulv. bez. S. gviij.*

D. S. Pulver auff ein mahl.

℞. *C. C. ſ. △.* ℈j *beZ. Min.* ☽. *ā gv. pulv. Cord. D.* ℈ß. *divid. in ij part. æqual. &* S. Schwitz-Pulver.

℞. *Pulv. bez. S. gxxiv. lap. bez. or. gix.* ♁ij. *diaph.* ℈j. *bez. miner. fl. Sulphuris ā* ʒß. M. divid. in iij. part. æqual. dt. ad chartam.

Infor-

In forma *Boli* & *Elect.* ſequentem in modum *diaphoretica* præſcribi poſſunt. ℞. *Elect. diaſc. Frac.* ℥j. ♁ij. *diaph. C. C. ſ.* △. *ã.* ℈ß. *ſir. acet. citr. q. ſ. c. ſacch.* f. bolus. ℞. *Conſ. pulp. Citr. Meliſſ. ã* ℥j. *theriac. Mithrid. ã* ℥ij. *bol. armen. Terr. ſig. ſtrig. ã* ʒj. *ſir. limon. q. ſ.* f. Elect. Dum vero hæc peraguntur *Vires* ſimul per *Cor roborantia* interna & externa reſtaurandæ pariter ac conſervandæ veniunt. ex. gr. ℞. *aq. borragin. acetos. ã* ℥iij. *prophyl.* ℥iß. *Cinnam.* ℥ß. *Conf. alk.* ʒj. *pulv. cord. D.* ℈ij. *ſir. acetos. Citr. Corall. ã* ʒiij.

D.S. Hertz-Waſſer.

℞. *Decoct. hord. c. C. C. & rad. ſcorzon.* ℔iß. *Aq. prophyl. è ſucc. betul. ã* ℥ij. *Mixt. ſimpl. And.* ʒß. *Man. Xſt. perl. q. s. Clyſſ.* ♁ ij. ʒiß.

D.S. Vermiſcht Gerſten-Waſſer.

℞. *Pulv. bez. Sen.* ℈j. *Corall. præpt.* ℈ß. *lap. bez. or.* giij.

D.S. Hertz-Pulver.

℞. *Amygd. dulc. exc.* ℥ß. *ſem. 4. frig. maj. ã.* ʒiß. *pap. alb.* ʒiij. *Aq. Ceraſ. nigr. acetos. borragin. prophyl. ã.* ℥ij. *F. l. a. Emulſ. cui adde Margar. ppt. Corall. præpt. ã.* ℈j.

S. Hertzſterckende-Milch.

A Medicamentis *intro aſſumtis* ad *externa* accedendum

℞. *Aq. borrag. prophyl. Carbunc. ã.* ℥j. *Meliſſ.* ℥iß. *roſar.* ℥ß. *Acet. bez. theriac. ã.* ʒvj. S. Pulß-Waſſer.

℞. *Spec. pro epith. Cordis* ℥ß.

S. Species zum Hertz-Säcklein

℞. *Aq. Cæſ. Carol. V. Anhaldin. ã.* ℥ß. *liq. vol. Sylv.* ʒß.

D.S. Euſſerlicher Spiritus.

Quam primum vero ſuſpectâ & vulgariter graſſante malignitate *Peſtis* ſe prodit, tutiſſimum fuerit absque longiori mora ægro in lecto jam decumbenti propinare *Sudoriferum* quod Venenum expellere queat, continuetur autem ſudor per 2. vel 3. horas, prout quidem vires ferre poterunt. Inter ſudandum danda eſt opera ſedulo, ut ne æger aëri frigido membra exponat, à ſomnô inſuper ſibi caveat & abſtineat à Cibo: ſicuti enim illud tranſpirationem prohibet; ita hoc naturam ab opere laudabili avertit. Finito ſeu peracto ſudore reficiatur

æger potione Roborante, aliisque cordialibus, quorum jam partim ſuperius facta eſt mentio: partim ap. Williſ. in Pharmac. *Rational. ſect. 6. c. 2. p. 155.* præter citatos antea Practicos, magnus reperitur apparatus.

XX. Quod denique *Chirurgicam* attinet *Curationem*, quâ *Carbunculi*; *Anthraces*, *Bubones* & reliqua ulcera ſanantur, tribus plerumque opus eſt auxiliis: quorum primum ex *Attrahentium* 2. *Emollientium* & *Maturantium* 3. denique *Mundificantium* & abſtergentium claſſe deſumitur. Inter *Attrahentia* ſequens commendatur Emplaſtrum.

℞. *Theriac.* ℥ß. *cœpar. coct.* ℥iß. *pulv. rad. angel.* ℥iij. *ſterc. columb.* ℥j. *ol. ſcorpion.* ℥iß. *C. mell. & Ceræ. q. s. f. Empl.*

D.S. Zug-Pflaſter.

Inter *Emollientia* Hartmannus ſequens commendat Empl.

℞. *Magnet.* ℥j. *therebint. Ol. ſcorpion. ã.* ℥ij. *Maſtich. ſuccin. myrrh. rubr. ſarcocoll. G. Ammon. canthar. ppt. ã.* ʒß. *Reſin.* ℥j. *Ceræ* ℥iij. *F. Empl.*

S. Weich-Pflaſter.

℞. *Mucilag. ſem. lini. pſyll. alth. ã.* ℔ß. *farin. ſem. lin. fœn. græc. ã.* miij. *tritic. cribel. mj. fic. ping. coct. in aq. & piſtat.* n. vj. *Ebulliant ſimul. & F. l. a. Empl. cui adde Axung. porcin.* ℥iiß. *butyr. recent.* ℥iß.

D.S. Erweichend Pflaſter zu den Peſtilenz-Beulen.

Inter *Mundificantia* & *abſtergentia* ſunt ſequentia.

℞. *Terebinth.* ℥ß. *vitell. ovor.* nj. *Ol. roſ.* ℥ß.

S. Digeſtiv Sälblein

℞. *Rad. Ireos. Ariſtol. ã.* ℥ij. *H. Abſinth. ſcordii. cent. min. ã.* mj. *myrrh.* ʒiß. *coq. in ſ. q. Vini pro* ℥vj. *quibus adde balſ. Sulph.* ʒij. *M. pro ablutione & abſterſione ulceris.*

De Diæta non opus reor, ut multa denuo proponantur, cum ex iis, quæ in *Præſervatione* de Victu dicta jam ſunt, facilè ſit videre, quæ proſint vel noceant. Generalis regula eſt apud Hipp. In acutis morbis victum valdè tenuem eſſe debere. Reliqua *Febris præſentia* vel *abſentia* & *circumſtantia* moderabuntur.

TANTUM.

QUi, VIR DOCTE, doces, quàm ſit violenta veneno
Peſtis, & Hippocratis verba ſevera legis.
En Tibi pro merito mox gloria ſumma paratur,
Ingenioque capis præmia digna Tuo.

Gratulabundus adjecit
NICOLAUS THILEN, Acad. Gieſſ. h. t. Rector.

P*Eſtiferæ* dum ſæva *Luis* Contagia, & Artem
Pellendi hoc medicè Virus, *Amice*, doces:
Magnum opus aggrederis, non inferiora ſecutus,
Hinc quoque Te major gloria lausq; manet.

Gratulor his auſis. Peſti ſis peſtis, & Ægris
Impletâ ſemper ſpe medeare, precor!

Hiſce
Cl. Dn. Candidato, Amico honoratiſſimo, pro Gradu Licentiæ diſputanti, ex animô gratulatur, & benevolæ mentis Affectum obſignat

LAURENTIUS Strauß / Med. D. hujusque & Phyſic. Profeſſ. Ordin.

QUæ Peſtis natura, queas quibus arte mederi
Huîc curis, ſtudio dexteriore doces
INSIGNIS KUNTZI, divus chorus ergo Sororum,
Aſſurgit Medico, digna brabea, novo,
Decernens, age promeriti tene culmen honoris,
Sic nomen clarum ſecula cana canent.

Honoris & Amicitiæ ergo hæc appoſuit

WILHELM. GEORG. SCHEIBLER, Trem. Weſtfalus.

Divexant

DIvexant miſeros homines contagia multis,
Nulla tamen pejus quam violenta *lues*,
Hanc docta noſti KUNTZI depingere crena,
Ergo Muſa Tibi præmia digna dabit,

Hæc
Pauca adjicere voluit Amoris ergo
CASPAR. HÖLLING,
Trem: Weſtphalus.

UT valeant homines, totiesq́ à morte reſurgant,
Multùm Galeni pollet in arte labor.
Cura quidem linquenda Deo: qui reddere vitam
In deſperatis rebus opemq́ valet.
Aſt etiam medicus nobis eſt rite colendus,
Namq́ creavit eum ſummus in orbe Deus.
Aq́ Deo ducit primum ortum cuncta medela,
Hinc doctus medicus munera larga feret.

KVN-

KVNTZIVS hæc ſecum perpendens nocte dieq́;,
Ardua conſpicuis laudibus aſtra petit.
Quem *nunc Pegaſides vallant circum agmine Muſæ,*
Et ſonat in laudes docta Thalia ſuas.
Illum *non pulchris ſtudiis infenſa voluptas,*
Aut malus à recto tramite duxit amor.
Sirenum cantus inter data ſcandala mundi
Præteriit ſurdâ & cautus & aure dolus.
Ergo labore ſuo *digniſſima præmia portat,*
Gratulor ex animo: cœpta Iehova beet!
Cedant in propriam ſibimet *multamq́; ſalutem,*
Ac ægrotantes commoda mille ferant!

Hæcce tenuia Clariſſimo ac Nobiliſſimo DN. CANDIDATO, Commenſali, Fautori ac Amico ſuo æſtumatiſſimo, ſummum in Medicina gradum capienti, lubens meritoque faciebat

PETRUS SCHOMBART,
Mœno-Francofurt.